

Anno
M.
2760.

Jephthe spurius, ab exilio ascitus in Ducem, *Ammonitis*, Gilhadem petentibus, bellum fecit. Regi ipsorum partem ditionis ademit, populùmque jugo servitutis exemit. Votum, quod pro victoria nuncupârat, persolvit, *filiam* suam perpetuo coelibatu Deo consecrans: denique & Ephraëmitas insolentiùs se gerentes, & vim minantes compescuit.

2766. *Ibsan* triginta filios, totidémque filias numeravit.

2773. *Elon.*

2783. *Abdon* filiis quadraginta, nepotibúsque triginta floruit.

2791. *Samson* non sine miraculo natus, ac Domino sacer inde ab utero, incredibili animi corporisque robore valuit. *Leonem* in itinere sibi obvium manu discerpfit. *Philistæos* gravibus damnis affecit, & multos eorum partim pedo, partim maxillâ asini protrivit. *Portas Gaze* urbis cum vectibus revulsas in montem deportavit. Vinculis *Philistæorum* non semel se exsolvit. Tandem captus, & in ludibrium traductus *Fanum Dagonis*, in quo cum Proceribus populus convenerat, in ruinam traxit, atque universos oppressit.

2811. *Eli* iudicis & Sacerdotis munus conjunxit. Sub quo *Samuel* natus & mysterio sacro initiatus fuit. Filios habuit *Hophni* & *Pineham*, qui improbi moribus, cultum Dei in contemtum adduxêre. Nec Pater pro auctoritate muneris eos coërcuit, monitorum lenitate